

G.K. 352, 7.

XVIII. 1170

II f
1456

Q. D. B. V.
 RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
 SERENISSIMO PRINCIPE A
 DOMINO,
 DN. FRIDERICO AVGVSTO,
 PRINCIPE REGIO, ET ELECT. SAX. HEREDE,
 ETC. ETC. ETC.
 DE
MERITO,

Publice disputabunt

PRAESES

M. SALOMON Deyling
 Veida-Var.

ET

RESPONDENS

ANDREAS RITTER,
 Strela - Silesius,

st-

ANNO ACADEMIAE SECVLARI

1711. d. XXIII. Septembr.

H. L. Q. C.



VITEMBERGAE,
 Literis CHRISTIANI GERDESII.

17



DE FRIDERICO AVGVSTO
PRINCIPIS REGIO, ET ELECT SAX HERED
ETC ETC ETC

DE
MERTIO

M. SALOMON
Vidua - Van

ANDREAS RITTER

ANNO ACADEMIAE SCHOEARI

H. L. G.

CHRISTIAN GERN





I. N. I.

Prooemium.

§. L



Vo maiora sunt, quae in Theologiam ex sapientiae studio se effundunt emolumenta, eo id minus insuper haberi, leviterque contemni debet. Huius quippe adiuti auxiliis, quas adversae partes opponunt, facile perumpimus difficultates, tortuosisque, quae rem implicare satagunt, maeandris miro nos artificio expedire possumus. Cum primis autem Morum doctrinas tenere interest. Altioris etenim indaginis capita, saepius non posse, nisi ex intimiori Moralitatis cognitione explicari, et a secus sentientium strophis vindicari, quis quaeso, est, qui ignorat? Quanta contra errorum monstra in coetu Pontificio ex crassa rerum Moralium ignorantia, foecundissima absurditatum Matre atque lerna, prodierunt? Incando errorum numero ne volumen quidem sufficeret. In praesenti suppedi-
bimus exemplum ex doctrina de Merito. Quae cum hanc etiam ob causam scitu maxime sit necessaria quod absque ea SOCINISTARVM fraudes et evibratae in Salvatore nostrum iniuriae vix detegi, feliciterque explodi possint, operae non defuturum esse pretium rati sumus, si qua fieri posset, brevitate, *Ἐξ ουπερ-
γῶντος* eam interpretandam susciperemus.

A 2

§. II A voce



§. II.

A voce ut ordimur, ita longius eius natales non arces-
simus. A merendo enim sibi adoptat nomen, adeo, ut ex prima
sua origine nihil aliud significet, quam aliquid facere, quam
obrem vel proemio dignusim, vel poena afficiendus. *Εὐαν-
ρίσθη* etenim et ad seqviorem non minus quam melio-
rem sensum indifferens est, quia de eo non solum, qui legi con-
venienter est operatus, sed et qui honestatis transgressus fines
a bene agendi norma deflexit, dicitur. Ita purioris etiam La-
tinitatis Auctores Meriti nomen accipiunt. OVIDIVS:

Ovid. Epist. 12. Est aliqua, ingrato meritum exprobrare, voluptas. Vi-
cissim:

Idem Epist. 5. Leniter, ex merito quicquid patiare, ferendum est. Me-
ritum pro *ἀγαθοποιία* sumtum Ecclesiae primitivae Doctores
in laxiori paulo significatu adhibuerunt, quibus hoc nomine
omne illud venit, quidquid ex institutione largientis ita aliquis
impetrat, ac si causae dignitas id exigeret, quae id tamen non

Conferatur
Dambaueri
Drama sa-
erum p. 997.
Vossii Theol.
Theol. Disp.
IV. p. 70. *ὡς ἐν μέσῳ* relinquimus, ut cum vitiosi, tum actus boni referre
possit effectum. Tametsi nudum Meriti nomen per appositas
voces ad neutrum sensum determinatum ut plurimum oppo-
natur demerito, actionemque respiciat tantum bonam. Quo
respectu nostrae cumprimis considerationis erit.

§. III.

Quemadmodum autem de Rebus tum demum feliciter
disputamus, cum de earum existentia certi sumus, ita disquiren-
dum ante omnia est, utrum detur aliquod in actionibus hu-
manis meritum? Ne autem nimis solliciti simus, evidentia fa-
cit principii, unde Meritum originem ducit. Hominem quip-
pe moraliter operantem dari, *ἐξαγώνιον* perinde atque proba-
tu facile est. Actionis vero moralis consequens, aut, si mavis,
effectus, est imputatio, per quam actionis suae, quae legi vel
con-

congruit, vel adversatur, homo non solum est auctor, sed etiam recipere tenetur, quidquid leges tali sub respectu in eum derivant. Idem ex Meriti deduci potest effectus, proemio videlicet, si legi non adversatur, et poena, si a praescripta agendi norma deflexit.

§. IV.

Nunc vero exigente sic rerum ordine, quid sit Meritum, definiendo illud patefaciemus. Varias equidem descriptiones scholarum Doctores exhibent, sed eiusmodi, quae parum sunt idoneae, et eorum etiam scenae inserviunt. Nos qui data opera prolixitatem devitamus et anfractus, eam, quam Celeberr. Dom. ROEHRENSEE, Patronus noster et Praeceptor, quae decet observantia colendus, suppeditat, utpote suis numeris absolutam, et assumemus, et pro virili tuebimur. Quae propter Meritum est respectus realis, quo agens morale capax est recipere rem actioni suae aequivalentem lege definitam. Quoniam Meritum alicuius rei est meritum, ac adeo sine respectu ne fingi quidem potest, singula insuper relationis admittit requisita, patet, quod ex classe τῶν πρὸς τι, sive Relationum sit. Quanto autem est certius, non cessare hanc relationem cessante licet mentis operatione, tanto concluditur firmitus, realem eam neque nudae rationis esse.

*Röbrensee in
Prudentia
Moralis P. II.
c. II. X. de Ef-
fectu Actus
moralis.*

§. V.

Pauca haec de genere dicta sunt. Principium Meriti maioribus subiacet difficultatibus. In quibus tamen expediendis ordine utemur, enumerando primo loco Principium QUOD Philosophis dictum. Est illud agens morale, hominum nimirum ratione agendi quae arbitrio praeditus. Quo ipso agentia spiritualia removemus, imprimis Deum, qui, nisi huc referas infinitam gloriam ab homine ei refundendam, nihil meretur. Licet enim actiones eius sint honestae, laude quae dignissimae, non tamen propterea sunt meritoriae, quoniam Meritum ordinem dicit ad retributionem et ad personam superiorem, a qua talis retributio procedat necesse est. Quae respectu Dei, qui ὑπάρτος κρείστων est, superiorem quae, unde remuneretur, non habet, ne fingi quidem potest. Deinde

hinc etiam excludimus homines in immoraliter operando prae-
ter suammet culpam sive in intellectu, sive voluntate impedi-
tos. Agentia item necessaria, sive animata illa sint, sive inani-
mata. Cum enim lex necessitate nullo praecedente eligendi ar-
bitrio agant, imputari iis nihil potest.

VI.

Principium QVO actio moralis est, praeclucante videlicet
intellectu, et decernente voluntate edita, sive *ἐνεργήσεως* sive
ἐνεργήματος veniat nomine. Sumimus actum morale *ὡς*
ἐν πλάτει, pro commissione et omissione rei, quae vel committenda
vel omittenda erat. Et simul exesse hinc volumus actus
naturales, quibus meriti atque imputationis rationes non in-
sunt, quoniam ad legem normari nec possunt nec debent. Idem
pronunciamus de actionibus involuntariis et vi extortis, si nimi-
rum principium motus non est nisi in alio, qui agentis mem-
bra vi quadam non infringenda ad aliquid agendum vel pati-
endum determinat, a quo tamen admittendo ille, qui ita cogi-
tur, vere abhorret. Alia tamen est ratio, si quis per intentatum
solum vitae periculum, aut aliud quoddam malum, quod
interminatur cogens, ad committendum scelus adigitur, ubi
coactus nihil plane mereri existimandus haud est, quoniam
actioni isti spontaneum quid atque electitium inest. Periculum
deinde a superiore propositum ab omni reatu non absolvit,
cunt gravissimi perferendi sint cruciatus, immo mors ipsa po-
tius oppetenda, quam, reclamante conscientiae dictamine, res
in se turpes perpetrare. Valde enim instrumenta *λογικά*
et ratione praedita ab *ἀλόγοις* et ratione destitutis differunt,

§. VII.

Dispiciemus iam de Meriti obiecto sive materia circa
quam. Meremur omnia, sive bona illa sint, sive mala. Actio
quippe moralis vel *ἐννομος* est, et cum agendi norma convenit:
vel est *ἀνομος*, et ab ipsius rectitudine deflectit. In individuo
et singulari nullus plane datur actus moralis indifferens, cum
quolibet eorum ordinem atque respectum ad suam Regulam
involvat. Et licet obiecta actionum nonnunquam sint indiffe-
rentia, non est tamen actio moralis in omnibus singularibus ac
cir-

circumstantiis indifferens. Inde pro diversitate huius obiecti atque respectus Meritum vel bonum est, vel malum. Ubi notari interest, longe nos facilius mereri mala, quam bona. Ad prava etenim quam sumus proni atque excitati, tam stupida contra hebesque mens est in promerendo bono, idque naturae vitio peccatis valde contaminatae. Quam malorum lernam ipsos etiam emundioris naris ethnicos olim agnovisse HVERTIUS evincit.

Huetius de
Conc. Rot. et
Fid. L. II. c.
IX. p. 165.

§. VIII.

Meriti Formam in aequali valore actionis meritoriae cum re, quae merenti ex lege aut legislatoris beneplacito conferitur, constituimus. Si enim ego extra obligationem perfectam constitutus alteri aliquid praesto, quod ei est proficuum atque gratum, illud, quoniam mihi decedit, et alteri accedit, relinquit apud me ius recipiendi et postulandi ab altero aequivalens. Quippe qui meritus aliquid est, ille non precario et gratis accipit proemium, sed ex actionis dignitate iustitiaque, qua satisfacere alter obstringitur, illi debetur. Pari modo qui deliquit, poenas det, quae demerito respondent, necesse est. Sive autem *νομοθετης* et superior expressis verbis significarit bona vel mala, sive implicite, iis non nominatis, merentibus destinavit, nil interest.

§. IX.

Requisita Meriti generatim considerati sunt duo. Primo aequa sit ratio inter actionem moralem et rem ex legis dictamine agenti applicandam. Quae proportio quanto inventu est difficilius, tanto maiori studio est indaganda. Ubi observandum, quemadmodum in bonis actionibus compensandis rem valore Meriti maiorem agenti conferre licet, nisi id vergat in aliorum aequae bene operantium iniuriam, virtutisque detrimentum; ita in malis longe maior debet adhiberi cautio, ne, quod esset iniquum, plus inferatur poenae, quam agens est meritis. Secundo requiritur, ut Meritum sit *αυτεξουσιον* et personale. Quam *αυτεξουσιον* tum demum habet, si a propria cuiusque voluntate plenaque libertate processit.

§. X. Ofi-

Originem inde eius ἀκωνία ducit, qva aliis neqve in se, neqve in effectu communicari potest. Quo ex capite neganda est illa controversia: An delicto non communicato communicari possit poena? Sicut enim in agentis persona Meritum terminatur, ita liberis parentum vitia et virtutes aut subditis principum peccata imputari nec possunt nec debent. Quamobrem quando in puniendis parentibus parva suboles, ne ad genitorum exempla succrescant, patrumqve ulciscantur supplicia, interimitur, id tam iniuste fieri pronunciamus, qvam iniusta est Regula:

Arist. Rhet. L. 2. c. 21.

Νήπιος, ὃς πατέρα κτείνας, παῖδας καταλέπει.
Desipit occidens patrem, qui pignora servat.

Iustior Romanis mos erat ἀφεΐδαι τῆς τιμωρίας ἀπάσης τῶν παῖδας ab omni poena eximere liberos, quorum deliquerant parentes. Praegnantes mulieres apud Aegyptios aeqve ac Graecos et Romanos supplicio non afficiebantur. Quam ob causam Perfarum leges crudelitatis inculamus atqve iniustitiae, quia ob perduellionis crimen ab unica admissum persona in omnem desaeuebant propinquitatem. Iniuste apud Macedones cautum erat, ut cum iis, qui Regi insidiati erant necarentur propinqui. Tametsi enim, ne noceant, prudenter coerceri possint perduellium liberi et agnati, iure domini bona ipsis auferendo, in quae ius ipsi non habent proprium: non possunt tamen heredes paternae impietatis constitui, iuste qve capite plecti.

Ammian. Marcell. L. 23. Iust. L. X. c. 2. Curtius L. VII. c. II. Puffendorf de I. N. et G. L. 8. c. 3. §. 33. P. 1210. Conf. Grotius de I. B. et P. Lib. 2. c. 21. §. 12. et in eundem Zieglerus.

§. XI.

Meriti Effectum duplicem facimus. Primo internum, qui in aliorum sensus protinus non incurrit, sed in merente solum residet. Prouti autem bene vel male est operatus, ita quoqve se habet effectus. Meritum boni conscientiae parit tranquillitatem mentemqve vario perfundit gaudio atqve demulcet. Malam contra actionem e vestigio insequuntur conscientiae cruciatus, animiqve vix perferendi dolores, si praecipue in naturae deliquit iura, quae praeter illos laniatus nullum poenae genus desiniunt, neqve de facto inferunt. Effectuum qve

Conf. Guiliel-

qui sensus ferunt, alii pariter boni sunt, alii mali. In illis nu-
 meramus publicam laudem atque dignitatem, mercedem item
 atque proemium, quibus qui praeclare sunt meriti, exornantur.
 Si enim res Meriti valori respondens expressa conventionem de-
 terminatur, merces, si expletio illius secundum modum, tempus
 et quantitatem in arbitrio alterius relinquitur, vocatur proemi-
 um. Vbi praeclare monet BOXHORNIVS, ut ejusmodi distri-
 buantur proemia, quae tam honorifica sint merenti, quam aera-
 rio minus damnosa. Deinde ut sint rariora atque tenuia, ne effu-
 sa exolescant. Ex malis Effectibus nominasse sufficiat vituperatio-
 nem, infamiam, supplicium, et unico verbo poenam, sive malum
 passionis, quod ob malum actionis infligitur illi, qui intellectu
 et voluntate est abusus, legesque sibi praescriptas violavit. Ne
 igitur legis auctoritas vilescat et imminuatur, atque peccata
 minoris aestimentur, poena non debet omitti, sed oportet, ut
 pervetustum habet politicorum axioma, τὰς κειμένους νόμους ἰ-
 σχυρῶς διαφυλάττειν, ne, quod iidem aiunt, veterem ferendo
 iniuriam invitemus novam. Potest autem poena infligi trifa-
 riam, si primo, qui deliquit, tollitur e medio, quae poena capita-
 lis est. Deinde si vires nocendi ei tantum, salva vita, adimuntur,
 ut si vel societate eiicitur, vel carceri includitur, quae corpora-
 lis est poena. Tandem si malo passionis dedoceatur delinque-
 re, quod fit per irrogationem multae sive poenae pecuniariae.

*mus Grotius
 de princip.
 I. N. c. 4. §. 6.*

*Pufend. de I.
 N. et G. L. 1.
 c. 9. §. 5.
 Boxhorn. Inst.
 Polit. c. 9. §.
 17.*

*Conf. Pufend.
 de I. N. et G.
 L. 8. c. 3. §. 9.
 Seldenus de I.
 N. et G. iuxta
 disciplinam
 Ebraeorum
 L. 1. c. 4. §. 5.*

§. XII.

Cum igitur Finis poenae sit delinquentis emendatio, patet,
 non posse infantes profontibus plecti, ut nocenti delictum abe-
 at impune. Declarant illud ipsae Leges divinae, omni excepti-
 one superiores. Neque ex ullis rationis iurisve humani scitis
 evinci potest, iure infantes ad supplicium trahi posse. Conqui-
 runt quidem οὐ ἐξ ἐναντίας divini scripturae loca, ubi Deus
 ad infantes etiam extendisse poenas vulgo existimatur. Vr-
 gent praecipue *Exod. XX. 5. Thren. V. 7.* Exemplum item CHA-

B

MI

MI, cuius erga Parentem impietas maledictione in posteros transeunte vindicata est. Ab illo enim CANAAN et CANANITAE descenderunt, qui Nemeseos divinae vim satis sunt experti. Sic IONATHAN non delectatus improbitate patris, cum eo tamen in acie occubuit, exclusa a regali dignitate omni nepotum progenie. Ob peccatum DAVIDIS poenas luit populus absumentis pestilenti morbo septuaginta millibus. Unde est illud HESIODI a veritate non adeo alienum:

πολλάκι καὶ ξυμπασα πόλις κακῶ ἀνδρῶς ἐπαυρεῖ.

Et recte HORATIVS monet: Quidquid delirant Reges, plectuntur Achivi. Spectat huc universalis, qua orbem Deus perdidit, illuvies, itemque Pentapoleos everfio, ubi easdem cum parentibus paenas parvuli scelere adhuc puri subuisse communiter videntur.

§. XIII.

At vero operam perdunt, qui in eiusmodi locorum conquirenda congerie multum defudant. Tametsi enim propter aliena peccata aliquos a Deo nonnunquam puniri probent, non tamen evincunt pro fontibus puniri insontes. Deinde observandum est, quod quemadmodum Deus est ἀνομος, superiorisque non reformidat faeces: Ita ius eius, quod habet in creaturas, cum liberrimum, tum absolutissimum est, nullisque a superiore aut lege aliunde adveniente limitibus coercetur. Hinc citra reatus periculum aut sanctitatis imminutionem, quam liberrime indulfit vitam, creaturae adimere, liberosque parentum culpa immunes occidere potest, ita ut hoc ipso parentum aggravet poenam. Recte enim Plutarchus monet:

*Plutarch.
de fera Numinis vindicta.*

ὃ λυπῆσα μᾶλλον ἑτέρα κόλασις ἢ τὰς ἐξ ἑαυτῶν κακὰ πάσχοντας δι' αὐτὰς ὀρεῖν 1. c.

Nullum

nullum durius est supplicium, quam eos, qui ex se sunt, miseros propter se spectare. Accedit, quod nullus hominum ex coetu adeo sit innocens, ut nullatenus mereatur affligi. Licet enim huius non semper particeps sit peccati, ab omni tamen penitus nunquam immunis est vitio, cuius ratione non iniuste ad supplicium trahi potest. Et quando Deus interminatur velle se in abnepotibus parentum ulcisci scelera, et maiorum impietas diris involvit prolem, in capita nepotum exeuntibus, isti non semper sunt culpa vacui, sed imitantur saepius maiorum delicta. Quemadmodum Saulis familiam istius crimine contaminatam fuisse ex eo patet, quod Deus eam appellat בית הרמים domum sanguinariam. De Achanis familia idem statuendum esse videtur.

*Conf. Grotius
de I. B. et P.
L. 2. c. 21. et
in eum Zieglerus
et Olander.
2. Sam. 21.
v. 2.*

§. XIV.

Hactenus in genere quid sit Meritum, vidimus. Iam rerum ordo nos monet, ut in ipsius naturam penetremus penitius, et primo quidem moneamus, bifariam illud dividi, in Meritum videlicet presse sic dictum sive Meritum boni et demeritum sive Meritum mali. Fundatur haec distingvendi ratio in diversitate principii. Meritum enim boni ab actione bona, demeritum a prava originem ducit. Definitur illud per relationem realem actus moraliter boni, vi cuius agens capax est recipiendi bonum actioni aequivalens a lege constitutum, Huius meriti proprie presseque dicti naturam paulisper contemplabimur.

§. XV.

Meriti fundamentum in naturali et mutua hominum radicatur obligatione, qua unus alteri ex naturae lege ad referenda paria obstringitur. Societatis etenim conditioni repugnat, ut alter alterius inserviat commodis nec tamen vicissim emolumentum quid ab eo recipiat. Natura insuper omnes homines habentur

tur aequales, et anima, corpore, materia, ortu, forma atque obitu sunt pares. Et licet imperium in reliquas creaturas acceperit homo, per naturam tamen alter altero non est superior. Quicquid hic sibi arrogat iuris, idem et aliis indulgeat, necesse est. Supra alium se nemo attollere aut socium contemtu habere debet. Aequae omnium sunt rationes, discrimen quod supervenit, non est, nisi a moribus, civitate atque fortuna, aequali nihilo scilicet inter eos manente naturae conditione. Per naturam denique, quidquid hic excipiat HOBBSIVS homines sunt sociales, et ad colendam societatem apti. Hinc sibi mutua praestent officia fas est, meritisque mutuis dent locum. Alioquin leonina illa erit societas, ubi unus omnia rapit nec alteri se rursus obstrictum esse existimat. Id quod tamen a societate ordinata quam longissime abesse debet.

*Hobbes elem.
de cive c. 1.6.
II.*

§. XVI.

Quae fufius iam disputata sunt, inter homines quidem inveniunt locum, non aequae inter hos et Deum. Quemadmodum enim mutua ambo inter non est obligatio, ita nec Meritum. Nulla a nobis ad Deum emanant bona, quibus obligaretur ad aequivalens, actionisque valori respondens bonum nobis rependendum. Et licet ex aequae partes nostras expleamus, id quod impossibile est, nihil tamen meremur, omnia quippe ex debito, quo Deo pro summis in nos effusis beneficiis obstricti sumus, faceremus. Deinde Meritum fundatur in iustitia & perpetua voluntate sua cuilibet tribuendi. Est enim Meritum, quemadmodum ipsimet Pontificii illud definiunt, opus bonum, cui ex iustitia debetur proemium, et quod innititur aequali operis valori in aestimatione morali. Nulla autem inter Deum et homines est iustitia. Rem omnem distinctius paulo considerabimus. Iustitia dividitur in distributivam et commutativam. Prior pro obiecto habet bona vel mala communia, in societate aliqua constitutis distribuenda. Observanda in ea est aequa-

*Conf. August.
Gibbon de
Burgotom. 2.
in 1. 2. Thomae
disp. XVIII.
P. 79.*

ęualitas geometrica, secundum quam res distribuenda personis
 adaequari debet, vel multiplicando vel dividendo. At vero
 non iniit Deus cum hominibus talem societatem, ut eorum
 merita atqve labores tanquam mensuram, causam et rationem
 suo valore ipsum pervinentem, in distributione bonorum re-
 spiciat. Imperfectae sunt actiones nostrae multisqve naevis
 propter *εὐπερίστατον* et intime inhaerentem naturae labem ob-
 noxiae. Nec minus iustitia, quae dicitur commutativa, et in
 proportione dati atqve accepti consistit, a Deo erit excludenda.
 Versatur enim circa *συναλλάγματα* atqve contractus, rem
 rei per subtractionem et additionem exaequando. Quanto
 autem magis Deus est *ἀνευδής καὶ ἀνταρκέσατ* [Ⓞ], tanto quis
 minus has permutationes ei tribuet. Quidquid mortalium ge-
 neri confert, illud tantum ipsius benignitati, effusoqve amo-
 ris affectui in acceptis referri debet. Habemus e Pontificiis ὁ-
 μόψηφον, praeter GABRIELEM VASQUEZIVM, FRANCI-
 SCVM de OVIEDO, Iesuitam Hispanum, cuius verba notatu
 digna adscribemus: *Retribuit Deus, inquit, merita hominum
 non ex iustitia commutativa, aut distributiva, sed ex gratitudine
 et fidelitate promissionis.*

*de Oviedo
 tract. Con-
 trov. 8. puncto
 12. f. 962.*

§. XVII.

Et rem omnino sic se habere, ex requisitis Meriti ὀ-
 φθαλμοφανερῶς patet. Ad illud praecipue spectat, ut sit
 indebitum. Vbi enim actio ex legis praescripto debetur et
 alter, cui meritum praestatur, ad actionem imperandam ius
 habet, actio non est meritoria. Qam etenim est impossibile,
 ut simul et sim vivus, et mortuus, tam est impossibile, ut Me-
 ritum vere tale simul sit debitum, aut ex lege, atqve anteceda-
 nea obligatione procedat. Ita servus operando nihil mere-
 tur, quia dominus ius habet ab eo exigendi servitia. Filius di-
 cto patris audiens est ex debito, non ex merito. Inde sequens
 elicitur consectarium: *Omnino debitum non est meritorium,*

et omnino non debitum est maxime meritorium. Quapropter absurdi sunt Pontificii, qui eo audaciae prolapsi opera Deo debita pro meritoriis habere et venditare non erubescunt. Quae tum demum Meriti quaedam habitura essent speciem, si citra obligationem et necessitatem ita Deo essent praestita, ut citra obligationem compensationis ea acceptare nequiverit. At ipse MEDINA evincit Deum praestare quod promisit, propter veritatem, sed non propter obligationem. Et FRANCISCUS de OVIEDO expresse confitetur, *opera Deo esse debita titulo supremi domini, quod habet in creatura*. Praeivit ipsis in hac sententia THOMAS, meritum hominis apud Deum esse non posse, nisi secundum praesuppositionem divinae ordinationis, clare confessus. Et hac mente Ecclesiae primitivae Doctores bona opera dixere meritoria.

Medina in 1.2.

Thom. quaeft.

114. art. 4. p.

1705.

Oviedo tr. 9.

contr. 5. pun-

cto 5. f. 903.

Thomas in 1.

2. quaeft. 114.

art. 1.

§. XVIII.

Quam Meritum est indebitum, tam debet esse utile ei, cui praestatur. Adeo ut tantum emolumentum ex vi operis accrescat illi, intuitu cuius fit, quantum per mercedem accrescit illi, qui hanc recipit intuitu operis facti. Et prout crescit operis indigentia atque utilitas, ea ratione crescit illius valor.

Oviedo l. c. f.

902.

Medina par-

te 3. qu. 19. art.

4. f. 496.

Ita philosophatur OVIEDO. Unde si vel maxime homo legi implendae examussum par foret, nihil tamen apud Deum mereretur, quia nulla emolumenta ex operibus nostris in eum redundant. Adstipulatur MEDINA: *Nos operibus nostris sive bona sint, sive mala, non possumus Deo praestare quidquam commodi aut utilitatis, vel nocuenti. Et ideo secundum talem modum merendi nihil possumus mereri apud Deum.*

§. XIX.

Requiritur porro, ut opus, quo meremur, sit nostrum, sive ut ad agentem eiusque vires pertineat ipsique, ceu auctori, imputari possit. Actio enim, quae neque in se, neque in sua causa penes agentem fuit, qua ratione meritoria esse possit, non ap-

apparet. Vbi observandum, quod dupliciter Meritum possit esse nostrum, formaliter et subiective, ita, ut agens ceu causa physica illud immediate producat; virtualiter deinde et interpretative, ut agens causa quidem Meriti non sit physica, sed moralis tantum, ita tamen se gesserit, ut res meritoria proprie ad eum spectet. Facit huc Regula: Quod quis per alium facit, per se fecisse putandus est.

§. XX.

Necesse insuperest, ut perfecte sit praestita actio meritoria, absque ullo defectu, aut mali admixtione. Bonum enim morale cum ex integra causa, malum vero ex quovis defectu sit, actionis bonitas ex obiecti, finis atque circumstantiarum bonitate aestimari debet. Quodsi deest aliquod de hisce requisitis, defectus actui inest, nulla bonitas, nulla perfectio. Potior autem perfectionis pars ex honestate obiecti, in quod voluntas fertur, merito accedit. A fine deinde magis perficitur. Ab eo enim, quem moraliter operaturus sibi praefigit, speciem suam sortitur actus, qui, ceteris paribus, bonus est, si ex honesto, turpis, si ex turpi dimanavit sine atque intentione. Talis enim est electio, qualis intentio, et inde exurgens actio electionis indoli ut plurimum respondet. A circumstantiis denique legitimis plene perficitur Meritum. Illae enim in doctrina morum utramque faciunt paginam, et pro sua diversitate diversam quoque actui ingenerant habitudinem, ut modo deficiat, modo rectus sit atque perfectus. Tametsi enim in esse humanitatis, qua voluntarius est atque liber, extra actus naturam circumstantiae sunt, in esse tamen moralitatis spectatum, in quantum vel honestus est vel turpis, intime eum afficiunt.

§. XXI.

Ultimo tandem loco nec illud praetereundum est, quod bono promerendo respondere debeat actionis moralis valor. Alioquin nulla futura est proportio. Meritum enim in iustitia,

QX
TH
1456
tia, quae suum cuique tribuit, fundatur. Quamobrem si quis plus exigit, quam actionis dignitas meretur, iniqvus, si minus tribuit, iniustus est. Proportio enim inter proemium et meritum adfit, necesse est.

§. XXII.

Scholarum Doctores Meritum hoc dispefcunt in Meritum de condigno et Meritum de congruo. Prius est, quando iavenitur aequalitas inter proemium et Meritum secundum rectam aestimationem, et internam proportionem. Hoc modo opera iustorum meritoria esse AVGVSTINVS GIBBON de BVRGO cum aliis Pontificiis existimat. Sed contradicit MEDINA, inter Deum et homines non esse meritum secundum aequalitatem iustitiae, contendens, sed solum secundum proportionem, sicut filius meretur a patre, et servus a Domino. Meritum de congruo, dictum etiam meritum ex gratia, non vi iustitiae, sed benevolae acceptionis aliquid acquirit, quia congruum est et decet bene agentes remunerare. Adaeqvata non invenitur aequalitas in eo, sed tantum secundum liberalitatem donantis munus tribuitur, quod donantem decet. Et quia proemio non est aeqvale, nullum ad illud ius infert. Iuris interpretes actionem iudicis, qui Meritum de congruo pro sufficienti agnoscit, aliquando vocant acceptilationem. Quam vocem SOGINVS satis infeliciter in Theologiam introduxit.

§. XXIII.

Animus erat nonnulla etiam de Merito mali sive Deme-
rito adiciere, ut eo distinctius elegantem hanc atqve diffi-
cilem doctrinam explicaremus. Sed labore hoc supersedere iu-
bemur per angusta dissertationi definita spatia. Potiora quae su-
per sunt, in conflictu monebimus, reliqua in
aliam reservaturi occasionem.

FINIS.

X 2939583

A. Gibboni de
Burgo in 1. 2.
Thomae disp.
31. dubio 1.
pag. 675.
Medina in 1.
2. Thomae
quaest. 114.
art. 1. §. 1692.

Conf. Hugo
Grotius de
satisfactione
Christi c. 6.

Vossius in
Thes. Theol.
Disp. IV. p.
62.



G.R. 352,7.

XVIII. 7.170

2. D. B. V.
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC
DOMINO,
DN. FRIDERICO AVGVSTO,
PRINCIPE REGIO, ET ELECT. SAX. HEREDE,
ETC. ETC. ETC.
DE
MERITO,

II f
1456

Publice disputabunt
PRAESES
M. SALOMON *Deyling*
Veida-Var.
ET
RESPONDENS
ANDREAS RITTER,
Strela-Silefius,
ANNO ACADEMIAE SECVLARI
c1o 1o ccII. d. XXIII. Septembr.
H. L. Q. C.



VITEMBERGAE,
Literis CHRISTIANI GERDESII.

at

1 9.17

